

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. VAL. MARTIALIS

Martialis, Marcus Valerius

AMSTELODAMI, 1628

Liber IX.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-711)

Sic nova dum condis, revocas, Auguste, priora ;
Debentur quæ sunt, quæque fuere, tibi.

De Gellia ad Papirianum. 80.

Non per myltica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bovem juvencæ,
Nullos denique per deos deasque
Iurat Gellia ; sed per uniones.
Hos amplectitur, hos perosculatur :
Hos fratres vocat, hos vocat sorores :
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam,
Eheu, quam bene nunc, Papiriane,
Anxæi faceret manus Sereni !

Ad Augustum. 81.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoq; quod Domino carmina parva damus ;
Possè Deum rebus pariter Musisque vacare ;
Scimus ; & hæc etiam ferta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos : nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæque sumus.
Non querens te sola decet, nec laurea Phoebi :
Fiat & ex edera civica nostra tibi.

M. VAL.

MARTIALIS

LIBER IX.

Epigrammatum.

Ad Avitum.

Note, licet non vis, sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris jungis, Avite, viris.
*Ille ego sum nulli angarum laude secundus,
Que n non miraris, sed, puro, lector, amas.*
Majores majora sonent : mihi parva locuto
Sufficit in vestras sape redire manus.

Mar.

Martialis Turanio suo. S.

Ave, mi Turani, frater carissime. Epigramma quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in Bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignorares Avitus ille quis vocaretur. Vale, & para hospitium.

De templo gentis Flavia. 1.

DUM Ianus hyemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit ætates.
Dum grande famuli nomen adferet Rheni.
Germanicarum magna lux Kalendarum,
Tarpeja summi saxa dum patris stabunt:
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona divæ dulce Iuliæ numen:
Manebit altum Flaviæ decus gentis,
Cum sole, & astris, cumque luce Romana.
Invidæa quidquid condidit manus, coelum est.

In Lupum. 2.

Pauper amicitia cum sis, Lupe, non es amicae;
Et queritur de te mentula sola nihil.
Illa filigineis pinguescit adultera cunnis;
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominæ Setina liquantur;
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis:
Haud sua desertus rura sodalis arat.
Splendet Erythræis pellucida moecha lapillis:
Ducitur addictus, te futuente, cliens.
Octo Syris, suffulta datur lectica puellæ:
Nudum sandapilæ pondus amicus erit.
I nunc, & miseros Cybele præcide cinedos:
Hæc erat, hæc cultris mentula digna tuis.

Ad Casarem Augustum. 3.

Quantum jam superis, Cæsar, cæloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis;
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturque dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis.
Quid pro Tarpejæ frondis honore potest?

Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo : res agit illa tuas.

Quid loquar Alcidem, Phœbumque, piosq; Laco-
Addita quid Latio Flavia Tempa polo ? (nas?
Expectes, & sustineas, Auguste, necesse est,
Nam tibi quod solvat, non habet arca Iovis.

In Æschylum & Gallam. 4.

Aureolis futui cum possit Gallia duobus,
Et plus quam futui, si toridem addideris.
Aureolos à te cur accipit, Æschyle, denos ?
Non fellat tanti Gallia. quid ergo ? tacet.

In Paullam. 5.

Nubere vis Prisco. non miror, Paulla : sapisti.
Ducere te non vult Priscus ; & ille sapit.

Ad Germanicum. 6.

Tibi summe Rheni dœmitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes ;
Populos habebunt : parere jam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna incœret ereptæ :
Nec quam superbus computeet stipem
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudox, esse per te coepit & lupanari.

In Afrum. 7.

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus ave.
Non vacat, aut dormit, dictum bis terq; reverso :
Iam satis est. non vis, Afer, avere : vale.

Ad Casarem. 8.

Tanquam parva foret sexus injuria nostra
Foedandos populo prostituisse mares :
Iam curæ lenonis erant, ut ab ubere raprus
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora poenas.
Non tulit Ausonius talia monstra Pater :
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Diluxere prius pueri, juvenesque, senesque :
At nunc infantes te quoque, Casar, amant.

De Fabio & Bithynico. 9.

Nil tibi legavit Fabius, Bithynice, cū tu
 Annua, si memini, millia fena dabas.
 Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli;
 Annua legavit millia fena tibi.

In Cantharum, 10.

Coenes, Canthare, cum foris libenter:
 Clamas, & maledicis, & minaris.
 Deponas animos truces, moneimus,
 Liber non potes & gulosus esse.

De Earino, 11.

Nomen cum violis rōsisque natum.
 Quo pars optima nuncupatur anni,
 Hyblam quod sapit, Atticosque flores,
 Quod nidos olet alitis superbæ,
 Nomen nectare dulcius beato,
 Quo mallet Cybeles puer vocari,
 Et qui pocula temperat Tonanti:
 Quod si Parrhasiā sonas in aula,
 Respondent Veneres, Cupidinesque:
 Nomen nobile, mōlle, delicatum
 Versu dicere non rudi volebam:
 Sed tu syllaba contumax repugnas.
 Dicunt Earinon tamen Poētæ,
 Sed Græci, quibus est nihil negatum,
 Et queis ἄρες ἄρες licet sonare:
 Nobis non licet esse tam disertis,
 Qui Mufas colimus severiores.

De eodem, 12.

Si daret autumnus mihi nomen, οπωρέων ὄν, essem.
 Horrida si brumæ sidera, χειμῆρων ὄν,
 Dictus ab æstivo θέων ὄν, tibi mense vocarer.
 Tempora cū nomen verna dedere, quis est?

De eodem, 13.

Nomen habes, teneri quod tempora nūcupat anni,
 Cum breve Cecropiæ ver populantur apes.
 Nomen, Acidaliā meruit quod arundine pingi,
 Quod Cytherea sua scribere gaudet acu.
 Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
 Gemma quod Heliadum pollice trita noter.

Quod

Quod penna scribente grues ad sidera tollant.
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

In amicum cœninetam. 14.

Hunc, quem mensa tibi, quem cœna paravit ami-
Esse putas fidæ pectus amicitiae? (cum,
Aprum amat, & mullos, & fumen, & ostrea: nō te.
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

De Chloë. 15.

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloë: quid pote simplicius?

De comâ Earini. 16.

Consilium formæ speculum, dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata deo,
Ille puer tota Domino gratissimus aula,
Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quæ tali censeretur munere tellus!
Nec Ganymedeas mallet habere comas!

De eadem, ad Æsculapium. 17.

Latonæ venerande nepos, qui nitibus herbis
Parcarum exoras pensa brevesque colos:
Hos tibi laudatos Domino sua vota capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies iudice rota fuit.
Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit, quam brevior coma.

Ad Casarem Augustum. 18.

Est mihi, sitque (precor) longum te præside, Cæsar,
Rus minimum, parvi sunt & in urbe Lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Cum mihi vicino Marria fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Iovis imber erit.

In Sabellum. 19.

Laudas balnea versibus trecentis.
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

Ad Cæsarem, 20.

Hæc quæ tota patet, tegiturque & marmore, & æu-
 Infantis domini conscia terra fuit. (ro,
 Felix quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ
 Vidit reptantes sustinuitque manus!
 Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
 Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.
 Curetes texere Iovem crepirantibus armis,
 Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
 At te protexit superùm pater, & tibi, Cæsar,
 Pro jaculo & parma fulmen & ægis erat.

Ad Autum, de Artemidoro, 21.

Artemidorus habet puerum: sed vendidit agrum:
 Agrum pro puero Calliodorus habet.
 Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
 Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Ad Pastorem, 22.

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
 Propter quod vulgus, crassaque turba rogat:
 Vt Serina meos consumat gleba ligones,
 Et sonet innumerâ compede Tuscus ager:
 Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
 Et crepet in nostris aurea lamna toris.
 Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
 Et faciant nigras nostra Falema nives:
 Vt Canusinatus nostro Syrus adlere fuder,
 Et mea sit culto sella cliente frequens.
 AEstues ut nostro madidus conviva ministro,
 Quem permutatum nec Ganymede velit.
 Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula facinas,
 Et Massyleum virgâ gubernet equum.
 Est nihil ex istis, Superos ac sidera testor.
 Ergo quid? ut donem, Pastor, & ædificem.

Ad Carum, 23.

O cui Virgineo flavescere contigit auro,
 Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
 Adspicis, en, Domini fulgentes marmore vultus,
 Venit ad has ultro nostra corona comas.
 Albanæ livere potest pia quercus olivæ,
 Cinxeris invictum quod prior illa caput.

Ad

Ad eundem. 24.

Quis Pallatinos imitatus imagine vultus
 Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
 Hæc mundi facies, hæc sunt Iovis ora ferentis:
 Sic tonat ille Deus, cum sine nube tonat.
 Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam,
 Effigiem Domini, quam colis, illa dedit.

In Afrum. 25.

Dantem vina tuum quoties adspeximus Hyllum,
 Lumine nos, Afer, turbidiore notas.
 Quod rogo, quod scelus est, mollem spectare mini-
 Adspicimus solem, sidera, templa, deos. (strum?
 Avertam, vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
 Porrigat, atque oculos, oraque nostra regam?
 Trux erat Alcides: sed Hylam spectare licebat.
 Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
 Si non vis teneros spectet conviva ministros:
 Phineas invites, Afer, & Oedipodas.

De Nerva. 26.

Audet facundo qui carmina mittere Nerve,
 Pallida donabit glaucia, Cosme, tibi,
 Pæstano violas & cana ligustra colono,
 Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
 Sed tamen & parvæ nonnulla est gratia Musæ:
 Appetitur posito vilis oliva lupo.
 Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
 Iudicium metuat nostra Thalia tuum.
 Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
 Lascivum juvenis cum tibi lasit opus.

In Chrestum. 27.

Cum depilatos, Chreste, coleos portes
 Et vulturino mentulam patem collo,
 Et prostitutis levius caput culis,
 Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
 Pingantque crebræ cana labra volsellæ;
 Curios, Camillos, Quinctios, Numas, Ancos,
 Et quidquid usquam legimus pilosorum,
 Loqueris, sonasque grandibus minax verbis;
 Et cum theatris, sæculoque rixaris,
 Occurrit aliquis inter ista h draucus,
 Iam pædagogo liberatus, & cuius
 Resibulavit turgidum faber perem:

Nutu vocatum ducis, & pudet fari,
Catoniana, Chreste, quod facis, lingua.

Epitaphium Latini. 28.

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum; plausus deliciæque tuæ:
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios, Fabriciosque graves.
Sed nihil à nostro sumpsit mea vita theatro,
Et sola tantum scenicus arte feror:
Nec poteram gratus Domino sine moribus esse,
Interius mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Iovis.

De morte Philanis. 29.

Sæcula Nestoreæ permensa, Philænî, fenestræ,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora: major erat mensibus illa tribus.
Ite quæ lingua fides! non illam mille catastæ
Vincebant; nec quæ turba Serapin amat:
Nec matutini cirrata caterva magistri,
Nec quæ Strymonio de græge ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos illos vendere lena toros?
Sic tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Antistii Rustici tumulus. 30.

Cappadocum sævis Antistius occidit oris
Rusticus. ô triki crimine terra nocens!
Rettulit ossa sinu cari Nigrina mariti,
Et quæsta est longas non satis esse vias:
Cumque daret sanctam tumulis, quibus invidet,
Visa sibi est rapto bis viduata viro. (urnam.)

Votum Velii pro Cæsare. 31.

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
Velius, hanc Marti pro duce votit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poscebat jam sibi vota Deus.
Ipse suas anser properavit lætus ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parva focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.

Quæ

Quæ litat argento pro te non sanguine, Cæsar,
Victima; jam ferro non opus esse docet.

Qualem velit amicam. 32.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur:
Hanc volo, quæ puero jam dedit ante meo:
Hanc volo, quam redimit totam denarius alter:
Hanc volo, quæ pariter sufficit una tribus:
Poscentem nummos, & grandia verba sonantem,
Possideat crassi mentula Burdigali.

Ad Flaccum, de Mathone. 33.

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum,
Mathonis illic esse mentulam scito.

De templo gentis Flaviae. 34.

Iupiter Idæi risit mendacia busti,
Cum videt Augusti Flavia templa poli:
Atque inter mensas largo jam nectare fusus,
Pocula cum Marri traderet ipse suo:
Respiciens Phœbum pariter Phœbique sororems,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat;
Cnosia vos, inquit, nobis monumenta dedistis:
Cernite quam plus sit Cæsaris esse patrem.

In Philomusum. 35.

Artibus his semper cenam, Philomuse, mereris;
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenamam numeras Sarmaticamque manum.
Verba ducis Daci chartis mandata resignas:
Victricem laurum quam venit ante vides.
Scis quoties Phario madeat Iove fusca Syene:
Scis quota de Libyco littore puppis eat.
Cujus Iūneæ capiti nascantur olivæ:
Destinet ætherius cui sua ferta pater.
Tolle tuas artes, hodie coenabis apud me,
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

*Colloquium Ganymedis & Iovis: in
gratiam Cæsaris & E-
rini. 36.*

Viderat Ausonium posito modo crine ministrum
Phryx paer, alterius gaudia nota Iovis

Quod tuus, ecce, suo, Cæsar permittit ephebo,
 Tu permitte tuo maxime rector, ait.
 Iam mihi prima latet longis lanugo capillis :
 Iam tua me ridet Iuno, vocatque virum.
 Cui pater ætherius, puer ô dulcissime, dixit:
 Non ego quod poscis, res negat ipsa tibi.
 Cæsar habet noster similes tibi mille ministros,
 Tantaque fidereos vix capit aula mares.
 At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
 Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit ?

In Gallam. 37.

Cum sis ipsa domi, mediaque ornere Subura,
 Fiant absentes & tibi, Galla, comæ:
 Nec dentes aliter quam Serica nocte reponas,
 Et jaceas centum condita pyxidibus :
 Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
 Quod tibi prolatum est mâne, supercilio.
 Et te nulla movet cani reverentia cunni,
 Quem potes inter avos jam numerare tuos.
 Promittis sexcenta tamen: sed mentula furda est.
 Et sit furda licet, te tamen illa videt.

Ad Agathinum. 38.

Summa licet velox, Agathine, pericula Iudas,
 Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
 Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras
 Vel pede, vel tergo, * crine, vel ungue sedet.

(1 clune.*

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
 Et rapiant fortes vela negata Noti:
 Securos pueri neglecta perambulat artus,
 Et nocet artifici ventus & unda nihil.
 Ut peccare velis, cum feceris omnia, falli
 Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.

In natalem Cæsonia. 39.

Prima Palatino lux est hæc orta Tonanti,
 Optasset Cybele qua peperisse Iovem.
 Hac & sancta mei genita est Cæsonia Rufi:
 Plus debet matri nulla puella suæ.
 Latatur gemina votorum forte maritus,
 Contigit hunc illi quod bis amare diem.

De Diodoro & Phi'ani ejus uxore. 40.

Tarpejas Diodorus ad coronas
 Romam cum peteret Pharo relicta ;

N

Vovis

Vovit pro reditu viri Philanis,
 Illam lingeret ut puella simplex,
 Quam castę quoque diligunt Sabinę.
 Dispersa rate tristibus procellis,
 Mersus fluctibus, obrutusque ponto
 Ad votum Diodorus enatavit.
 O tardus nimis & piger maritus !
 Hoc in littore si puella votum
 Fecisset mea, protinus redissim.

In Ponticum. 41.

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læva
 Uteris, & Veneri servit amica manus.
 Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed in-
 Quatum vix animo concipis ipse tuo. (gens,
 Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres:
 Mars semel, ut geminos Iliā casta daret.
 Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
 Mandasset manibus gaudia focda suis.
 Ipsam crede tibi naturam dicere rerum:
 Idud quod digitis, Pontice, perdis homo est.

Ad Apollinem, pro Stella suo, 42.

Campis dives Apollo sic marinis,
 Sic semper senibus fruare cynis;
 Doctę sic tibi serviant sorores;
 Nec Delphis tuā mentiatur ulli,
 Sic Pallatia te colant, amentque :
 Bis-fenos cito te rogante fasces
 Det Stellę bonus annuatque Cęsar.
 Felix tunc ego, debitorque voti
 Casurum tibi rusticas ad aras
 Ducam cornibus aureis juvencum !
 Nata est hostia, Phoebe, quid moraris?

*De Herculis sigillo apud Vind**cem, 43.*

Hic qui dura sedens porrecto saxa leone
 Mitigat exiguo magnus in ære deus,
 Quęque tulit spectat resupino sidera vultu;
 Cujus læva calet robore, dextra mero :
 Non est fama recens, nec nostri gloria cęli,
 Nobile Lysippi munus, opusque vides,
 Hęc habuit numen Pelteę mensa tyranni,
 Qui cito perdomiro victor in orbe jacet.

Hunc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras:
 Iusserat hic Syllam ponere regna truce[m].
 Offensus varix tumidis terroribus aulæ,
 Privatos gaudet nunc habitare Lares.
 Urque fuit quondam placidi conviva Molorchî,
 Sic voluit docti Vindicis esse deus.

De eodem, 44.

Alcides modo Vindicem rogabam
 Effet cujus opus, laborque felix.
 Risit (nam solet hoc) levique nutu:
 Græce numquid ait, P'oëta, nescis?
 Inscripta est basis, indicatque nomen.
 Δυσίππυς lego, Phidiæ putavi.

Ad Marcellinum, 45.

Miles Hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
 Et Getici tuleris sidera pigra poli,
 Ecce Promethææ rupes & fabula montis,
 Quam prope sunt oculis nunc adeunda ruis.
 Videris immensis cum conclamata querelis
 Saxa fenis, dices, durior ipse fuit.
 Et, licet, hoc addas: potuit qui talia ferre,
 Humanum merito fluxerat ille genus.

In Gellium, 46.

Gellius ædificat semper: modo limina ponit,
 Nunc foribus claves aptat, emitque seras:
 Nunc has nunc illas reficit mutatque fenestras.
 Dum tantum ædificet, quidlibet ille facit,
 Oranti nummos ut dicere possit amico
 Vanum illud verbum Gellius, ædifico.

In Pannicum, 47.

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
 Quidquid & hirsutis squallet imaginibus,
 Sic quasi Pythagoræ loqueris successor, & hæres?
 Præpendet mento nec tibi barba minor.
 Sed, quod & hircosis serum est, & turpe pilosis,
 In molli rigidum clune libenter habes.
 Tu qui sectarum causas, & pondera nosti,
 Dic mihi, percidi, Pannice, dogma quod est?

In Gallicum, 48.

Hæredem cum me partis tibi, Gallice, quartæ,
 Per tua jurares sacra, caputque tuum,

196 M. VAL. MARTIALIS
Credidimus, (quis enim damnet sua vota libēter?)

Et spem muneribus fovimus usque datis;
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Mifimus, AEtola de Calydone pures.
At tu continuo populumque, patresque vocasti,
Ructat adhuc aprum callida Roma meum:
Ipse ego (quis credat?) conviva nec ultimus hæsi:
Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis uncia venit apro.

De roga a Parthenio sibi donata. 49.

Hæc est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amatque togam:
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
Munus: in hac ibam conspiciendus eques:
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana,
Dumque erat auctoris nomine digna sui:
Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli
Quam possis niveam dicere jure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
Hæc toga jani non est Partheniana: mea est.

In Gaurum. 50.

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
Carmina quod faciam quæ brevitate placent.
Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Langona vivum:
Tu magnus puerum, Gaure, Giganta facis.

De Lucano & Tullo, fratribus. 51.

Quod semper superos invito fratre rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Oprabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisque habitator amoenâ
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis;
Et si jam nitidis alternus venit ab astris;
Pro Polluce mones Castora, ne redeat.

Ad Q. Ovidium. 52.

Si credis mihi Quincte (quod meseris)
Natales Ovidi tuas Apriles,
Ut nostras amo Martias Kalendas,
Felix utraque lux, diesque nobis

Signandi melioribus lapillis!
 Hic viram tribuit, sed hic amicum.
 Plus dant, Quincte, mihi tuæ Kalendæ.

Ad eundem. 53.

Natali tibi, Quincte, tuo dare parva volebam
 Munera, tu prohibes: imperiosus homo es.
 Parendum est monitis. fiat quod uterque jubemus:
 Et quod utrumque juvat, tu mihi, Quincte, dato.

Ad eundem. 54.

Si mihi Picenâ turdus palleret oliva,
 Tenderet aut nostras silva Sabina plagas,
 Aut crescente levis traheretur arundine præda,
 Pinguis & implicitas virga teneret aves:
 Cara daret solenne tibi cognatio munus;
 Nec frater nobis, nec prior esset avus.
 Nunc sturnos inopes, fringuillarumque querelas
 Audit, & arguto passere vernat ager.
 Inde salutaturs picæ respondit arator;
 Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
 Minimus ergo tibi parvæ munuscula cortis,
 Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

Stella & Flacco se excusat. 55.

Luce propinquorum, quâ plurima mittitur ales,
 Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro:
 Succurrit nobis ingens, onerosaque turba:
 In quâ se primum quisque meumque putat.
 Demeruisse duos, votum est: offendere plures,
 Vix tutum: multis mittere dona, grave est.
 Quâ postum solâ veniam ratione merebor:
 Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

De Spendophoro Caesaris armigero. 56.

Spēdophorus Libycas Domini petit armiger urbes:
 Quæ puero dones tela, Cupido, para.
 Illa quibus juvenes figis, mollesque puellas;
 Sit tamen in tenera levis & hasta manu.
 Loricam clypeumque tibi galeamque remitto:
 Tutus ut invadat, prælia, nudus eat.
 Non jaculo non ense fuit læsusve sagitta,
 Casside dum liber Parthenopœus erat.

198 M. VAL. MARTIALIS
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent!
Dum puer es, redeas, dum vultu lubricus, & te
Non Libye faciat, sed tua Roma virum.

In Hedy'um, 57.

Nil est tritius Hedyli lacernis,
Non anse veterum Corinthiorum;
Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptæ recutita colla mulæ,
Nec quæ Flaminiam secant salebræ,
Nec qui littoribus nitent lapilli,
Nec Tuscâ ligo vineâ politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cavea latus bifontis,
Nec dens jam senior ferocis apri.
Res una est tamen, (ipse non negabit)
Culus tritior Hedyli lacernis.

Ad Nympham Sabini, 58.

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit,
Sic montana tuos semper colat Umbria fontes,
Nec tua Bajanas Sarfina malit aquas:
Excipe follicitos placidè, mea dona, libellos:
Tu fueris Musis Pegasis unda meis:
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

In Mamurrâ, 59.

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes;
Inspexit molles pueros, oculisque comedit:
Non hos, quos primæ prostituere casæ,
Sed quos arcanae servant tabulata catastræ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur, mensas & opertos exiit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur.
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.
Consuluit nares an olerent æra Corinthon:
Culpavit statuas & Polyclete tuas.
Et turbata brevi questus crystallina vitro,
Myrrhina signavit seposuitque decem.

Expendit veteres calathos, & si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Et virides p̄sto gemmas numeravit in auro,
Quidquid & à nivea grandius aure sonat.
Sardonychas veros mensa quæsit in omni,
Et pretium magnis fecit iaspidibus.
Undecima lassus cum jam discederet hora,
Assè duos calices emit, & ipse tulit.

Sabino corollam roseam mittit, 60.

Seu tu Pæstani genita es, seu Tiburis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo:
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria rursus eras:
Pulchrior ut nostro videre corona Sabino:
De Nomentano te pudet esse meo.

De platano Cæsaris, 61.

In Tarressiacis domus est notissima terris,
Quà dives placidum Corduba Bœtin amat:
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus:
Ædibus in mediis totos amplexa Penates
Stat platanus densis Cæsariana comis:
Hospitis invicti posuit quam dextera felix,
Coepit & ex illa crescere virga manu.
Auctorem, dominumque nemus sentire videtur:
Sic viret, & ramis sidera celsa petit.
Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fanni:
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas,
Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,
Terruit & tacitam fistula sera domum,
Atque oluere Lares commissatore Lyæo,
Crevit & effuso latior umbra mero.
Mesternisque rubens dejecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.
O dilecta deis, ô magni Cæsaris arbor,
Ne metuas ferrum sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores:
Non Pompejanæ te posuere manus.

De Philani, 62.

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte uritur & die Philani,
Non est ambitiosa, non superba:
Delectatur odore, non colore.

In Phabum. 63.

Ad coenam invitant omnes te, Phoebe, cinædi.
Mentula quem pascit, non puto purus homo est.

De statua Cæsaris. 64.

Herculis in magni vultus descendere, Cæsar
Dignatus Latiae dat nova templa viae.
Qua Triviae nemorosa petit dum regna viator
Octavum domina marmor ab urbe legit.
Ante colebatur votis, & sanguine largo:
Majorem Alciden nunc minor ipse colit.
Hunc magnas rogar alter opes, rogar alter hono-
illi securus vota minor facit. (res:

De eadem, ad Herculem. 65.

Alcide Latio nunc agnoscende Tonanti,
Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris,
Si tibi tunc isti vultus, habitusque fuissent,
Cesserunt manibus cum fera monstra tuis.
Argolico famulum non te servire tyranno
Vidissent gentes, sævaque regna pati.
Sed tu jussisses Eurysthea, nec tibi fallax
Portasset Nefsi perfida dona Lichas.
Oetæi sine lege rogi securus aditæ
Astra patris summi, quæ tibi poena dedit.
Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ:
Nec Styga vidisses Tartareumque canem.
Nunc tibi Iuno favet, nunc te tua diligit Hebe:
Nunc te si videat Nympha, remittet Hylan.

Ad Fabullum. 66.

Vxor cum tibi sit fornicosa, pudica, puella,
Quo tibi natorum jura, Fabulle, trium?
Quod peris à nostro supplex Dominoque Deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

In Æschylum. 67.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nulla potest.
Fessus mille modis, illud puerile poposci:
Ante preces rotas, primaque verba dedit.
Improbis quiddam ridensque rubensque rogavi:
Pollicita est nulla luxuriosa mora.
Sed mihi pura fuit; tibi non erit, Æschyle: si vis,
Accipe & hoc manus conditione mala.

In magistrum ludi. 68.

Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister,
 Invisum pueris virginibusque caput?
 Nondum cristati rupere silentia galli:
 Murmure jam sævo verberibusque tonas.
 Tam grave percussis incudibus æra resultant,
 Causidicum medio cum faber aptat equo.
 Mirior in magno clamor furit amphitheatro,
 Vincenti parmæ cum sua turba favet.
 Vicini somnum non tota nocte rogamus.
 Nam vigilare leve est, pervigilare grave,
 Discipulos dimitte tuos. vis, garrule, quantum
 Accipis ut clames, accipere ut taceas?

In Polycarum. 69.

Cum futuis, Polycarum, soles in fine cacare.
 Cum pædicaris, quid, Polycarum, facis?

In Mæcilianum. 70.

Dixerat, ô MORES! ô TEMPORA! Tullius olim,
 Sacilegum strueret cum Catilina nefas:
 Cum gener, atque focer diris concurreret armis,
 Mœstaque civili cæde maderet humus.
 Cur nunc, ô MORES! cur nunc, ô TEMPORA! di-
 Quod tibi non placeat, Mæcilianum, quid est? (cis?
 Nulla ducum feritas, nulla est infamia ferri:
 Pace seu certa, læritiaque licet.
 Non noltri faciunt, tua quod tibi tempora sordēt,
 Sed faciunt mores, Mæcilianum, tui.

De leone & ariete, 71.

Massyli leo fama jugi pecorisque maritus
 Lanigeri, mirum, quâ coïere fide.
 Ipse, licet, videas: caveâ stabulantur in una,
 Et pariter socias carpit uterque dapes.
 Nec fetu nemorum gaudeat, nec miribus herbis:
 Concordem satiat sed rudis agna famem.
 Quid meruit terror Nemees, quid præditor Helles,
 Ut nixtant celsi lucida signa poli?
 Sidera si possent pecudesque feræque mereri:
 Hic aries astris, hic leo dignus erat.

Ad Liberum. 72.

Liber Amyclæâ, frontem vittate coronâ,
 Qui quatis Ausonia verbera Graja manu,
 N s. Clusa

202 M. VAL. MARTIALIS
Clusa mihi texto cum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

In sutorem, 73.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum:
Prænitina tenes decepti regna patroni,
In quibus, indignor, si tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus crystalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me litterulas stulti docuere parentes:
Quid cum grammaticis rhetoribusque mihi?
Frangere leves calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare futuri calceus ista potest.

De effigie Camoni, 74.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Servat, & infantis prima figura manet.
Florentes nulla signavit imagine vultus.
Dum timet ora pius muta videre pater.

De balneo & thermis Tucce, 75.

Non silice duro, stru&tilive cæmento,
Nec latere co&cto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucce balneum fecit:
Sed strage nemorum, pine&que compage,
Ut navigare Tucce balneo possit.
Idem beatas lautus extruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia Synas, Afra quod N&omas misit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.
Sed ligna defunt: subice balneum thermis.

De effigie Camoni, 76.

Hæc sunt illa mei quæ cernitis ora Camoni:
Hæc pueri facies primaque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatque suas pingere barba genas,
Et libata semel summos modo purpura cultros
Sparserat: invidit de tribus una soror.
Et festinatis incidit stamina pensis,
Absentemque patri rettulit urna rogam.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis major imago meis.

De convivio Prisci, 77.

Quod optimum sit disputat convivium,

Facunda Prisci pagina :

Et multa dulci, multa sublimi refert,

Sed cuncta docto pectore.

Quod optimum sit quæritis convivium ?

In quod choraules non venit.

De Galla & Picentino, 78.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,

Picentine, sequi vult puto Galla viros.

Ad Augustum Cæsarem, 79.

Oderat ante ducum famulos turbamque priorum:

Et Pallatinum Roma supercilium:

At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum;

Vt sit cuique suæ cura secunda domus.

Tam placidæ mentes, tanta est reverentia vestri,

Tam pacata quies; tantus in ore pudor.

Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)

Sed Domini mores Cæsarianus habet.

De Gellio, 80.

Duxerat esuriens locupletem pauper anumque

Vxorem: pascit Gellius, & furuit.

Ad Auctum, 81.

Lector & auditor nostros probat, Aucte, libellos:

Sed quidam exactos esse Poëta negat.

Non nimium curo, nam coenæ fercula nostræ

Maliu convivis quam placuisse cocis.

In Munnam, 82.

Dixerat astrologus periturum te cito, Munna,

Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi.

Nam tu dum meruis, ne quid post fata relinquas;

Hausisti patrias luxuriosus opes.

Bisque tuum decies non toto tabuit anno

Dic mihi, non hoc est, Munna, perire cito ?

Ad Cæsarem, 83.

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,

Quæ vincit veterum munera clara ducum,

Multum aures, sed plus oculi debere fatentur

Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

Ad Norbanum 84.

Cum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
 Staret pro Domino Cæsare sancta fides:
 Hæc ego Pieriâ ludebam tutus in umbrâ,
 Ille tuæ cultor notus amicitia.
 Me tibi Vindelicis Rhætus narrabat in oris,
 Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
 O quoties veterem non inficiatus amicum
 Dixisti: meus est, iste Poëta meus!
 Omne tibi nostrum, quod bis trieteride junctâ
 Ante dabit lector, nunc dabit auctor opus.

In Paullum Atilii. 85.

Languidior nostri si quando est Paullus Atilii,
 Non se, convivas abstinet ille suos.
 Tu lauguore quidem subito fictoque laboras,
 Sed mea porrexerit sportula, Paulle, pedes.

In obitum Severi Siliii. 86.

Festinata sui gemeret cum fata Severi
 Silius, Antonio non semel ore potens:
 Cum grege Pierio mœstus Phœboque querebar.
 Ipse meum fleui, dixit Apollo, Linon.
 Respexitque suam, quæ stabat proxima fratri,
 Calliopen, & ait: tu quoque vulnus habes.
 Adspice Tarpejum, Pallatinumque Tonantem;
 Ausa nefas Lachesis læsit utrumque Iovem.
 Numina cum videas duris obnoxia fati,
 Invidia possis exonerare deos.

Ad Luperum. 87.

Septem post calices Oprimiani
 Denso cum jaceam triente blæsus,
 Adfers nescio quas mihi tabellas,
 Et dicis, modo liberum esse jussi
 Nastam (servulus est mihi paternus)
 Signa: cras melius, Luperce, fiet.
 Nunc signat meus annulus lagenam.

Ad Rufum 88.

Dum me captares, mittebas munera nobis:
 Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
 Ut captum teneas, capro quoque munera mitte;
 De caveâ fugiat ne male pastus aper.

Ad Stellam. 89.

Lege nimis dura convivam scribere versus
Cogis, Stella. licet scribere nempe malos.

Ad Flaccum, 90.

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus hinc & inde rivis
Curva calculus excitatur unda;
Exclusis procul omnibus molestis,
Pertundas glaciem triente nigro,
Frontem futilibus ruber coronis:
Sic uni tibi sit puer cinædus,
Et castissima pruriat puella.
Infamem nimio calore Cypron
Observes, moneo, precorque, Flacce,
Melles area eum teret crepantes,
Et fulvi juba sæviet leonis.
At tu diva Paphi remitte, nostris
Iliæsam juvenem remitte vôtis.
Sic Martis tibi serviant Kalendæ,
Et cum thure, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Sectâ plurima quadra de placentâ.

Laudas Cæsaris epulum. 91.

Ad cænam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Iovis.
Astra licet propius, Pallatia longius essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem:
Querite, qui malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Iupiter, ecce, tenet.

Ad Condylum. 92.

Quæ mala sint domini, quæ servi commoda nescis,
Condyle; qui servum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis tegeticula somnos:
Pervigil in pluma Caius, ecce, jacet.
Caius à prima tremebundus luce salutat
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde inquit Phœbus, & illic
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, chiragraque secatur
Caius; & mallet verbera mille pati.
Quod nec mane vomis, nec cunnum, Condyle lin-
Non mavis, quam ter Caius esse tuus? (gis

Ad

Ad Calocissimum pocillatorem, pro Casare Germanico, 93.

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
 Quadrantem duplica de seniore cado.
 Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calocisse, deorum?
 Sex jubeo cyathos fundere? C A E S A R erit.
 Sutilis aptetur decies rosâ crinibus, ut sit
 Qui posuit sacrae mobile gentis opus.
 Nunc bis quina mihi da basia, fiat ut illud
 Nomen, ab Othryfio quod deus orbe tulit.

De Hippocrate, 94.

Sardoa medicata dedit mihi pocula virga.
 Os hominis! mulsam me rogat Hippocrates.
 Tam stupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuisti:
 Chalcea donanti Chrysea qui dederas.
 Dulce aliquis munus pro munere poscit amaros?
 Accipiat; sed si potat in elleboro.

De Athenagora, 95.

Alficus ante fuit, coepit nunc Olficus esse,
 Vxorem postquam duxit Athenagoras.

De eodem, ad Callistratum, 96.

Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, verum?
 Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
 Sed puta me verum, Callistrate, dicere nomen:
 Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

De Herode, 97.

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægros:
 Deprensus dixit: stulte, quid ergo bibis?

Ad Iulium, 98.

Rumpitur invidia quidam, carissime Iuli,
 Quod me Roma legit; rumpitur invidia.
 Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
 Monstratur digito; rumpitur invidia.
 Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque
 Ius mihi natorum; rumpitur invidia.
 Rumpitur invidia, quod ras mihi dulce sub urbe
 Parvaque in urbe domus; rumpitur invidia (est).
 Rumpitur invidia, quod sum jucundus amicis,
 Quod conviva frequens; rumpitur invidia.
 Rumpitur

Rumpitur invidia, quod amamur, quodq; proba-
Rumpatur, quisquis rumpitur invidia. (mur:

Ad (Q.) Ovidium, de Corano, 99.

Vindemiarum non ubique proventus.
Cessavit, Ovidi: pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

*Ad Atticum & Tolosano librum suum
mittit. 100.*

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert:
Marcus Palladiæ non infitianda Tolosæ
Gloria, quam genuit pacis alumna quies.
Tu qui longa potes dispendia ferre viarum,
I, liber, absentis pignus amicitix.
Vilis eras, fateor, si nunc te mitteret emtor.
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multum, crede mihi, refert, an fonte bibatur.
Qui fluit, an pigro cui stuper unda lacu.

In Bassum, 101.

Denariis tribus invitas, & manè togatum
Observare jubes atria, Basse, tua:
Deinde hæere tuo lateri, præcedere sellam,
Ad viduas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque;
Denariis tamen hanc non emo, Basse tribus.

De Statua Cesaris Germanici, 102.

Appia, quam simili venerandus in Hercule Cesar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ,
Si cupis Alcix cognoscere facta prioris,
Disce. Libyn domuit: caraque poma tulit.
Peltaram Scythico disscinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem silvis cervam, Stymphalidas astris
Abstulit, à Strygia cum cane venit aqua.
Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperias Tusco lavit in amne boves.
Hæc minor Alcides. major quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis:
Asseruit possessa malis Pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Iove bella puer,
Solutus.

Solus Iuileas cum jam retineret habenas :

Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.

Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri :

Sudantem Getica ter nive lavit equum.

Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos

Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.

Templa deo, mores populis dedit, otia ferro,

Altra suis, cælo sidera, ferta Iovi.

Herculeum tantis numen non sufficit actis :

Tarpejo Deus hic commodet ora patri.

Ad Phœbum, 103.

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas:

Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.

Quære alium, cui te tam vano munere jactes:

Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meū est.

De Hiero & Asillo, fratribus, 104.

Quæ nova tam similes genuit tibi Lede ministros?

Quæ capta est alio nuda Lacæna cycno?

Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo,

Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.

Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis,

Cum vicere duas dona minora deas:

Mansisses Helene; Phrygiamque redisset in Idam

Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

M. VAL.

MARTIALIS

EPIGRAMMATUM,

LIBER X.

Liber, ad lectorem, 1.

S nimius videor, feraque coronide longus

Esse liber: legito pauca, libellus ero.

Terque quaterque mihi finitur carmine parvo

Pagina, fac tibi me quam cupis esse brevem.

Ad eundem. 2.

Festinata prior decimi mihi cura libelli

Elapsum manibus nunc revocavit opus.

Nota